



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

31 Adhæsi testimonijs tuis Domine: noli me confundere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

IN PSAL. CXVIII.

339

memoriae assiduitatem considera quam pulchre Salomon, quamque significanter commendat. Liga, inquit, ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo: cum ambulaueris, gradientur tecum: cum dormieris, custodiant te: & euigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna est, & lex lux: & via vitae increpatio disciplinae.

PROV. 4.

Adhaesi testimonijs tuis Domine, noli me confundere.

Verbum קדף hebraeum significat adhaerere, coniungi, agglutinari, ita ut nihil medium intercedat. Vnde & apud Iob de squammis arctissime sibi coherentibus dicitur, Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: vna alteri adhaerebit; & tenentes se nequaquam separabuntur. Sanctus Augustinus in psal. 62. legit. Agglutinata est anima mea post te, & ait. Videte desiderantem, videte sitientem, videte quomodo haereat Deo. Nascatur in vobis iste affectus. Si iam germinat compluatur, & crescat; perueniat ad tale robur, ut & vos dicatis ex toto corde, agglutinata est anima mea post te. Vbi est ipsum gluten? ipsum gluten caritas est. Caritas habet, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum. Non post Deum, sed post Deum, ut ille praece-

Caritas
gluten
uniens
Deo.

S. Aug. in
Psal. 62.

P 2 dat,

dat, tu sequaris. Hæc S. Augustinus. Hunc
 ita adhærentem Deo, necesse est & testi-
 monijs eius adhærere: & qui adhæret te-
 stimonijs Dei, fieri non potest, quin ipsi
 Deo arctissimè adhærescat. Nam (vt ait
 S. Leo) nihil est aliud diligere Deum,
 quam amare iustitiam. Quam qui dili-
 git, & diuinis testimonijs adhæret, fi-
 denter petit, nec dubiè obtinet, ne con-
 fundatur. Quid autem sit confusio, &
 quam multiplex, supra dictum est copio-
 sc.

*Serm. de
 grad asc.
 in beat.*

32 Viam mandatorum tuorum cucurri,
 cum dilatasti cor meum.

Ambros. **N**on potest viam Domini currere, cu-
 ius cor coarctatur angustijs. Et Apo-
 stolus ait. Cor nostrum dilatatum est: di-
 latamini & vos. Et de Salomone. Latitudo
 cordis eius, quasi arena, quæ est in litore
 maris: & vide distantiam. Via fit angu-
 stior, cor latius, vt Patris, & Filij, & Spi-
 ritus sancti sustineat mansionem: ne ve-
 niat verbum Dei, & pulset, & videns cor-
 dis eius angustias dedignetur habitare. De-
 nique sapientia in exitu (id est cum exit
 in publicum) canit: in plateis cum fidu-
 cia agit. Plateæ late sunt. Nō igitur in vijs,
 sed in cordis latitudine Sapientia decātat.
 Ita S. Ambrosius. Latum verò fit cor eua-
 cuatione ab occupantibus, & replentibus

Psalm. 1.

*Quomo-
 do cor di-
 laterur.*